Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 677
Quelle:
Copyright:

&c. usque ad verba: *Quod medium dicitur, commune est.* &c. Post *fol.* 101. avulsa est pars Serm. XIX. in *Ps.* CXVIII. ab his verbis: *iniquitatis alienae. denique sequitur et dicit* — usque ad verba Serm. XXIX. *Quod est christus ihesus. Vnde hec ergo iste* &c. Post *fol.* 111. deficit *Ps.* CXXII. a verbis: *herendo illi ascendere* — ad verba: *proficisci vis longius. Da mihi sed da mihi* &c. quae sunt post medium *Ps.* CXXIII. Item post *fol.* 141. *Ps.* CXXXVI. a verbis: *et fit minor tempore* — ad verba *Ps.* CXXXVIII. *quia filius unicus dei dicit. Domine probasti me* &c. Item post *fol.* 145. *Ps.* CXXXIX. a verbis: *inter quos malos gemit* — ad verba *Ps.* CXLII. *Saulus in terra Christum in cęlo sedentem* &c. Item post *fol.* 157. initium *Ps.* CXLVI. usque ad verba: *mentis meę et captivum me ducentem* &c. Demum in verbis *Ps.* CXLVII. *nisi spectacula. ne putent gentes se habere* — deficit *Codex*, quem ita misere mulctatum sane dolendum est. Exegimus eum ad Editionem Maur. ut jam supra dictum est.

CCCXXV.

R. 3084 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. maj. paene quadro, per duas columnas luculente pulcreque perscriptus, rubricis distinctus, et cum tot aliis claris Codicibus olim κτημα Coenobii *Montis Pomerii* Ord. *Cist.* in *Austria* super. complectitur D. *Augustini Enarrationes in I. Quinquagenam Psalmorum* ita comparatas. *In nomine domini nostri ihesu christi incipit prologus Aurelii Augustini de laude psalmorum.* Initium: *Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum* &c. *Augustino* in Editis olim tributum, sed non in omnibus *Mss.* repertum testantur *Mauriani;* nec mirum, cum sit *Basilii* Prooemium in Psalmos Paraphraste *Rufino.* Sequitur alia Rubrica: *De Uirtutibus psalmorum.* Nihil de hac *Mauriani.* Incipit: *Prophetie spiritus non semper prophetarum mentibus prędsto est, quatinus cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere, cum habent.* Id quod illustratur *Elisaei* exemplo Psalten adduci jubentis. Tum vero ostenditur multiplex e frequentatione Psalmorum utilitas, descendendo etiam ad particularia, Psalmosque nominatim suggerendo, quos pro vario animi statu recitare sit opportunum. Et extat Libellus Sec. XV. *s. l.* et *a.* 4. impressus titulo *Augustini de Virtute Psalmorum,* qui partem *Rubricae* nostrae delibat. Illam excipit in Codice tertia: *De laude psalmorum*, pariter *Maurianis* intacta, et incipiens: *Canticum psalmorum corpus sanctificat, animas decorat, inuitat angelos in adiutorium* &c. atque hujus magnam partem *Remigius Autissiod.* suae *Enarrationi in Psalmos* titulo *Dictorum S. Augustini* praemisit, ut videre est *Biblioth. PP. Lugd.* T. XVI. *col.* 1044. Ut meam de duabus his *Rubricis* mentem aperiam, ipsum vocabulum *Dictorum*, quo *Remigius* utitur, innuit, eas *Augustini*